

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

45
15

DISSERTATIONVM
DE
SVMMIS RERVM
GENERIBVS
TERTIA,

*In qua
Paradoxon hoc Logicum:*

ACCIDENS PRÆDICABILE ET
PRÆDICAMENTALE PLANE
NON DIFFERVNT,

Benignissimo permissu Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ

IN ALMA SALANA

D. V. Aprilis MDCIC.

publice discutiendum exhibebit

PRÆSIDE

hab' 11. 41 55

M. JO. PHILIPPO Greiber

Fac. Philos. Adj. I. U. C. & P. L. C.

RESPONDENS

ANDREAS Krauß / Schesburgo-Transylv.

IENÆ
LITERIS MULLERIANIS.

DISSERTATIONVM
DE
SVMMS RERV
GENERALIBVS
TERTIA

ACCIDENS PRÆDICABILE
PRÆDICAMENTALE PLANE
NON DEERVNT

M. JO. PHILIPPO
ANDREAS RYNE Schönbu





PROCEMIVM.

Quemadmodum in Dissertatione de sum-
 mis rerum generibus *prima*, ex recen-
 sitis in ejusdem Proœmio sex assertio-
 nibus, primam, atque in *secunda* secun-
 dam pensitari placuit, ita in præsentem
tertia tertiam, videlicet hanc: *Accidens Prædicabile*
& prædicamentale plane non differunt; dilucidare, no-
 bis proposuimus. Idque exequemur, ostendendo: quod
accidens prædicabile & prædicamentale in omnibus iis con-
venient, in quibus ea discrepare dicuntur aut dici possunt.

TH. I.

Primo: cognovimus, quod accidens prædicabile
 & prædicamentale ita differre dicantur: *Accidens*
prædicabile opponitur essentia, prædicamentale autem
Substantia; Verùm ex adverso liceat nobis ita asserere:
Accidens prædicamentale opponitur essentia sicuti præ-
dicabile.

§. Ad id enim, ut aliquid sit accidens Prædicamentale, re-
 quirunt Aristotelici: ut ad essentiam ejus, in quo est, non spe-
 ciet, eidemque contingenter competat. Vid. Dissert. de summ.
 rer. gen. secund. cap. I. Th. III. §. 2. & Cap. II. Th. II. §. 3. Con-
 fer hujus Dissert. Th. V. & hujus §§.

Secundo : objici hoc loco potest : Posito & concesso, quod *Accidens Prædicamentale* opponatur & *Essentiæ & Substantiæ* ; tamen *accidens prædicabile* solum opponitur *essentiæ*, non autem *Substantiæ* ; & proinde *accidens prædicabile ac prædicamentale* in eo differunt, *quod accidens prædicabile opponatur essentiæ non autem Substantiæ ; at prædicamentale opponatur & essentiæ & Substantiæ*. Verum respondemus *negando*, quod *accidens prædicabile soli essentiæ, non autem etiam Substantiæ opponatur*.

§. Omne enim prædicabile relative opponitur alicui subijctibili ; subijctibile autem, quod opponitur accidenti prædicabili, est vel *Substantia* vel *accidens*. Ideoque *accidens prædicabile* etiam opponitur *Substantiæ*, sicuti *prædicamentale*.

TH. III.

Tertio : a quibusdam putatur differre *accidens prædicabile & prædicamentale* eo modo, *ut accidens prædicabile solummodo possit esse universale, prædicamentale autem & universale & singulare ; cum in prædicamentis contineantur & genera & species & individua*. Sed responderetur *negando*, quod *accidens prædicabile solum universale, nec etiam singulare esse possit*.

§. Nam, sicuti univ. sim de *essentiæ prædicabilium* non est, esse *universalia*, ita *speciatim de essentiæ accidentis prædicabilis* non est : esse aliquod *universale*. Utrumq; probo sequentibus instantiis : *Primo* enim datur aliqua *differentia specifica*, quæ non est aliquod *universale* ; cum tamen omnis *differentia specifica* sit aliquod *prædicabile*. E. g. *esse omnino perfectum*, est *differentia Dei specifica*, nec tamen competit pluribus *Diis*, sed uni & soli *Deo*. Deinde *esse creatorem* est *accidens prædicabile* in respectu ad *Deum* ; nec tamen id competit pluribus *Diis*, adeoque non est *universale*. Tandem etiam argumentari possumus hunc in modum :
 Eru-

Eruditio Aristotelis prædicatur de Aristotele,

Eruditio Aristotelis est res singularis, E.

Quoddam singulare prædicari potest.

Minorem probo : quia modus prædicandi sequitur modum
essendi. At vero eruditio, quæ dicitur fuisse in Aristotele, est
singularis ; Ergo singularis seu individualis eruditio de eo præ-
dicatur. Quodsi actu prædicatur, prædicari etiam potest. Nam
ab actu ad potentiam valet consequentia.

TH. IV.

*Quarto: affirmant: accidens prædicabile & prædi-
camentale ita diffidere: Prædicamentale potest esse ge-
nus, ut color, cum prædicatur de albedine in quid es-
sentialiter; sed accidens prædicabile nunquam est genus,
quia sunt distincta prædicabilia. Huic assertioni op-
ponimus hanc: Quo sensu accidens prædicabile non
potest esse genus, eo sensu etiam prædicamentale non
potest esse genus; S: quo sensu accidens prædicamen-
tale potest esse genus, eo etiam prædicabile potest esse genus.*

§. 1. Quodsi enim I) genus sumatur pro notione, quæ
in doctrina de prædicabilibus definitur, atque contradistingui-
tur accidenti prædicabili, ut notioni in prædicabilibus definitæ,
tunc neque accidens prædicabile, neque prædicamentale potest
esse genus. Non illud: quia genus & accidens sunt distincta
prædicabilia. Non hoc: quia itidem nullum accidens prædi-
camentale est Genus, sumto hoc pro illa notione, quæ in præ-
dicabilibus definitur; E. g. color non est Genus, quatenus hoc
sumitur pro notione in prædicabilibus definita. Color enim non
definitur in prædicabilibus.

§. 2. Si autem II) Genus sumatur pro notione, cui notio
Generis in prædicabilibus definita imponi potest, tunc accidens
prædicabile, uti prædicamentale, potest esse genus. Accidens
enim prædicabile in prædicamentis disponitur per genera & spe-
cies. E. g. color est accidens prædicabile & prædicamentale,

bedinis Genus, quatenus hoc sumitur pro notione, notioni in prædicalibus definitæ substrata, seu pro notione, cui notio generis imponi potest; nempe Color est notio, cui notio generis in prædicabilibus definita imponi potest.

§. 3. III) *Illud, quod est accidens prædicabile, & illud, quod est accidens Prædicamentale, potest esse genus. Accidens autem prædicabile, quatenus est accidens prædicabile, nec non accidens prædicamentale, quatenus tale non potest esse Genus. Utrumque enim subjecto suo non competit essentialiter.*

§. 4. Ideoque nec prædicabile accidens, nec prædicamentale, quatenus illud & hoc refertur ad subjectum suum, potest esse genus. Relatum autem ad inferiora sua, tam *illud, quod est accidens prædicabile, quam illud, quod est accidens prædicamentale, potest esse genus.* Illi enim ipsi, qui IVtam hanc differentiam proponunt, ajunt: *Ad accidens prædicamentale inter alia requiritur, ut insit non ut pars, neque essentialis neque integralis. Hinc anima rationalis in homine, Genus in Specie non est tanquam in subjecto, quia inest ut pars essentialis. Adeoque diserte docent, quod nullum accidens prædicamentale, quatenus tale, sit Genus.*

TH. V.

Quinto: accidens prædicabile & prædicamentale ita diversa esse docent: Accidens prædicabile opponitur proprio, ut distincto prædicabili; sed prædicamentale suo modo est etiam proprium. Contrariam tuituri assertionem, ita dicimus: Accidens prædicamentale æque ac prædicabile opponitur proprio, nec ullo modo accidens prædicamentale potest esse proprium.

§. 1. I.) enim Accidens Prædicamentale tam inhærens, quam extrinsece denominans, *realiter distinctum est a subjecto suo.* Propterea enim accidens (inhærens) in Deum non cadere contenditur, quia Deus est ens simplicissimum & perfectissimum, ejusque attributa non realiter ab eo distincta, sed ipsa ejus substantia

stantia sunt. Jam vero nullum proprium est realiter distinctum a suo subjecto. Id enim est realiter distinctum ab altero, quod sine altero esse potest. At nullum subjectum sine proprio neque esse, neque quasi sine eo existere valeat, cogitari potest absque contradictione. V. g. absque contradictione nequidem cogitare potes materiatum, quod sit quantitatis expers; extensum, sine divisibilitate existens; Jus ad rem competens sine obligatione &c. Ideoque etiam nullum proprium erit accidens prædicamentale, & v. v.

§. 2. II) Patet exinde, quod sublato proprio tollatur essentia rei, & posita essentia ponatur proprium, tanquam ab ea inclusum (v. g. divisibilitas includitur ab extensione, qua posita ponitur divisibilitas; docilitas a rationalitate, qua posita ponitur docilitas) & propterea proprium spectet ad essentiam rei, sitque ab essentia non diversum realiter. Atqui ab ipsis contraria sententiæ Doctoribus nullum accidens prædicamentale ad essentiam rei spectare sed subjecto suo contingenter competere dicitur. Sequitur ergo & ex hoc, quod accidens prædicamentale non sit proprium; confer Theſin I. & ibi citata.

§. 3. Accedit III) quod v. g. facultas loquendi, recordandi, discendi, seu docilitas, &c. quamvis sint propria hominis, tamen non sint accidentia; quia nulla pars potestativa ex mente eorum, qui contrarium docent, accidens est. Hæc tamen propria nec esse Substantias, Dissertat. de summ. rer. gen. II. Cap. II. Th. III. & hujus §§. demonstravimus. Aut ergo quædam propria sunt accidentia prædicamentalia, aut omnia. Non omnia, ut patet ex præſenti §. neque quædam, ut ostensum est §. præced. 1 & 2. Ergo nulla propria sunt accidentia prædicamentalia. Non quædam enim sunt nulla.

§. 4. Hactenus assertis obest sequens sorites:
 Accidens inhærens a subjecto suo separari non potest;
 Quicquid a subjecto suo separari non potest, illud non est realiter distinctum a subjecto suo,
 Quicquid non est realiter distinctum a subjecto suo, illud autem competit rei essentialiter, aut erit proprium. Er.

Ergo Accidens inhærens aut competet rei essentialiter aut erit proprium.

§. 5. *Prima propositio* probatur ex eo : quia esse in sub-
jecto & a subjecto suo separari non posse, seu: extra subjectum
inhærentis existere aptum non esse, est de essentia accidentis in-
hærentis. Quapropter etiam Aristoteles, Lib. Categor. Cap.
II. §. 2. scribit: Ἐν ὑποκειμένῳ δὲ λέγω, ὃ ἐν τινὶ μὴ ὡς μέρος
ὑπάρχον, ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τῷ ἐν ᾧ ἐστίν, in subjecto esse
dico, quod in aliquo est, non ut pars, nec sine eo, in quo est,
esse potest.

§. 6. *Secunda propositio* extat §. præced. primo adeoque no-
stra est. Interim tamen ita probari potest: Quicquid a subje-
cto suo separari non potest, seu: sine quocunque subjectum
aliquid esse non potest, illud subjecto necessario competit. Si
necessario: certe aut essentialiter, aut ut proprium. Essentia
autem ab Ente non realiter differt, & proprium includitur ab
Essentia. Atque si essentia & proprium essent res peculiare,
tum in quovis Ente facerent realem compositionem, quia Deus
essentiam & propria habet, & tamen immunis est ab omni com-
positione vera ac reali. Imo, si essentia & proprium re ipsa diversa
essent ab Ente, certe Ens eadem recepisset. v. g. si hominis essentia
& propria re ipsa diversa essent ab homine, homo eadem recepisset.
Sed hoc itidem absurdum est, cum enim per essentiam res sit
id quod est, per eamque res ab omnibus aliis rebus distingua-
tur, propriumque includatur ab essentia; profecto aliquid
tanquam tale Ens recepisset quippiam, antequam fuisset tale
Ens. V. g. homo recepisset essentiam & propria hominis, an-
tequam fuisset homo.

§. 7. *Tertia propositio* probatur ita: Quia plura non sunt
necessario & intrinsece competentia, & realiter cum rebus eadem,
quam essentia & proprium.

§. 8. Verum enim vero ad prolatas & probatas has propo-
sitiones respondemus distinguendo cum Aristotelicis inter sepa-
rationem positivam & negativam. Separatio positiva est, cum

res separata non definit esse. Negativa, cum res separata definit esse. Jam limitamus *secundam propositionem* (quæ Major foret prosyllogismi, si sorites ille per distinctos syllogismos extenderetur) hunc in modum : Quicquid a subjecto suo *nec positive, nec negative* separari potest, illud non est realiter distinctum a subjecto suo. Tunc, si subsumamus (Atqui accidens inhærens a subjecto suo separari nec potest positive, nec negative) negamus *primam* propositionum illarum, utpote *Minorem* prosyllogismi. Nam accidens inhærens a subjecto suo separari potest *negative*, id est, ita, ut facta separatione illud extinguatur, ut: habitus.

§. 9. Possumus etiam ita limitare alteram propositionem: Quicquid a subjecto suo *absque repugnantia & contradictione* separari non potest, illud non est realiter distinctum a subjecto suo. Et tunc iterum concidit prima propositio; utpote minor. Nam accidens prædicamentale separari potest a subjecto suo absque repugnantia & contradictione.

§. 10. Excipienti : Si igitur omne accidens prædicamentale est realiter distinctum & separabile, cur accidens divisum est in separabile & inseparabile? respondetur : Divisio accidentis in separabile & inseparabile caret omni fundamento; Et accidens inseparabile est Non-Ens. Quamvis enim Bartholinus in Enchirid. Log. p. m. 83. accidens inseparabile ita definiat : Inseparabile accidens est, quod *non re ipsa* separatur, sed *sola cognitione* & mentis operatione; atque hæc subdat : *Proprium autem non item cogitatione a subjecto abesse potest, & accidens fieri*; tamen omnia exempla illa, quæ ab ipso Bartholino & compluribus aliis adducuntur ut accidentia inseparabilia, non sunt accidentia inseparabilia, sed differentiarum genericarum.

§. 11. Exempla illa sunt : Albedo cygni, nivis, lactis, nigredo æthiopis. Verum, quia per albedinem cygnus, nix & lac, & æthiops per nigredinem ab aliis rebus *sibi affinis* distinguuntur, & ideo in definitione cygni, nivis & lactis differentia earum ab albedine, *saltim non sola*, inque definitione

B

Æthio.

Æthiopsis ejus differentia a nigredine, ut iterum non ab eâ sola, sumitur, sane illa exempla nō esse possunt accidentia inseparabilia. Et vereor ut ullum exemplum afferri possit, cui tribui queat accidentis inseparabilis definitio.

§. 12. Bartholinus quidem dicto Lib. p. m. 83. ait: *Albedo a cygno per intellectum abstrahi potest, concipi cygnus sine accidente illo salva manente ejus substantia*: Et p. 84. dicit: *Posito proprio, risibilitate, mox ponitur subjectum homo, ideoque in definitione risibilis; at posita albedine, non mox ponitur cygnus, nec in definitione albi cygnus (vel nix vel lac) collocatur. Nam albedinem sine cygno, & hunc sine illa optime concipere possumus. Concipi potest subjectum etiam cum contrario sui accidentis inseparabilis, sine contradictione & subjecti repugnantia. Ut mens concipere potest æthiopem non modo nigrum, sed & album; a cygno albedinem abstrahere, & nigredinem in eo concipere, & cum eo componere, dicendo: cygnum esse nigrum. Non enim, si negavero cygnum esse album, negavero, cygnum esse cygnum.*

§. 13. Verum per hæc omnia nihil aliud probat Bartholinus, quam, quod proprium non sit accidens inseparabile juxta definitionem accidentis inseparabilis ab ipso prolatam. Idque eidem concedimus. Sigillatim largimur, quod posito proprio, risibilitate, mox ponatur subjectum homo; concedimus etiam, quod posita albedine non mox ponatur cygnus, nec in definitione albi cygnus (vel nix, vel lac) collocetur. Concedimus, inquam, hoc; quia albedo cygni, nivis & lactis non est proprium. Est enim albedo id, a quo differentia generica cygni [nivis & lactis] in definitione cygni desumitur. Cygnus enim, nix & lac sunt species albi; quemadmodum albedo cygni, &c. sunt species albedinis, ratione subjecti divisa.

§. 14. Et quia non opus est, ut in definitione generis, aut alicujus differentia generica ponantur species, ideo etiam concedimus Bartholino, quod in definitione albi tanquam generis, non ponantur species: cygnus, nix, lac; quodq; nec in definitione albedinis, tanquam generis, ponatur albedo cygni, nivis, lactis, ut species.

cies. Interim tamen in definitione harum specierum ponitur album tanquam genus; & in definitione æthiopsis etiam ponitur nigrum tanquam genus. Ideoque etiam albedinem sine cygno, nive, lacte; nigredinem sine æthiope, non tamen illa sine albedine, & hunc sine nigredine concipere possumus; quemadmodum opinatur Bartholinus, dum ait: Albedinem sine cygno, & hunc sine illa optime concipere possumus. &c. &c. &c.

§. 15. Hoc enim in quaestione est, & nondum probatum a Bartholino, quod Æthiopem definire, adeoque vere concipere aut appellare possim album, & cygnum: nigrum. Quamdiu itaque mihi non ostenditur æthiops albus & cygnus niger, tamdiu non seduci possum, ut credam: dari æthiopem nigrum, & album cygnum, absque contradictione. Hominem *sub Zona torrida natum & viventem atque Mauris contradistinctum* (einen Nigriten) nescio an definire adeoque concipere possim aliter, quam nigrum quoad cutem? I) enim vehementia caloris solaris non permittit, *ejusmodi homines esse albos*; adeoque ex natura & temperamento ejusmodi hominum sub Zona torrida viventium propullulat nigredo. II) differunt etiam per nigredinem suam, (ut ut non solam) a Mauris & aliis hominibus.

§. 16. Imo, si albedo omittatur, cæteris cygni, nivis & lactis differentiis positis, certe aut difficile aut impossibile erit, afferre differentiam cygni, nivis & lactis ab aliis rebus affinis. Pariter, vereor, ut justa definitio & differentia Æthiopsis tradi possit, nisi nigredinis habeatur ratio, quamvis cætera, a quibus æthiopsis ab aliis hominibus differentia, desumitur, sint posita.

§. 17. Cæterum autumaverim, justam satis fore divisionem Accidentis in separabile & inseparabile, si in eadem *accidens* sumatur in amplo illo significato, quo denotat omne illud, quod non est essentia, quodve ad essentiam rei non pertinet, i. e. pro extra-essentiali, sive hoc sit proprium sive accidens. Tunc enim per accidens inseparabile potest intelligi proprium, per separabile autem: prædicabile, contingenter suo competens subiecto. Verum tunc exempla illa, quæ pro accidentibus inse-

parabilibus habentur, huic accidentis inseparabilis acceptioni substerni non possunt. Non enim sunt propria.

TH. VI.

Sexto : Differentiam inter accidens prædicabile & prædicamentale solent adducere hanc : *Accidens prædicabile potest esse substantia, quia notat omne illud quod contingenter alicui rei competit ; prout e. g. rubigo hac ratione est accidens ferri, cui forte est aspersa, & pulvis, corporis humani ; & tamen ista, in se considerata, sunt substantia. Prædicamentale autem nunquam spectatum in se potest esse Substantia. Veruntamen ex opposito dixerim : Tam prædicamentale accidens, quam prædicabile, posse esse substantiam.*

§. 1. Nam prædicamentum *Habitus* est classis substantiarum substantiis adjacentium ; & propterea rubigo ferro aspersa, itemque pulvis corporis humani, ut Substantiæ substantiis adjacentes, cum pertineant ad prædicamentum habitus, sunt *accidentia prædicamentalia*.

§. 2. Excipis : *Rubigo non est habitus, nec habitus est : pulvis corporis humani ; sed rubigine aut pulvere aspersum esse. Ad prædicamentum enim habitus non referenda sunt res ipsae adjacentes, sed rerum saltem adjacentia eo spectat, e. g. non vestes vel calcei hic pertinent, sed vestium, calceorum, adjacentia, ut vestitum esse calceatum esse ; hæc enim nihil sunt aliud, quam : vestes corpori, calceos pedibus adjacentes.*

§. 3. Ad hanc exceptionem sequentia reponimus : *Hæc opiniones : Quod in Prædicamentis *ubi* non sit Locus, sed esse in Loco ; QUANDO non sit tempus, sed esse in tempore, cum Locus & Tempus ad Quantitatem pertineant ; HABITUS non sit res adjacens Substantiæ, sed ejus adjacentia, sive *ubi* adjacentia ; hæc, inquam, opiniones sunt aliquæ ex insignioribus Logicorum præjudiciis inveteratis.*

§. 4. Nam 1) ipsimet illarum sententiarum Doctores do-

cent

cent, quod decem sint Prædicamenta, quodque UBI, QUAN-
DO & HABITUS sint prædicamenta: Definiunt porro Prædi-
camenta mox per series, in quibus sub uno summo genere dispo-
nuntur & directe continentur genera subalterna, species infima
& individua; mox per modos prædicandi de substantia singu-
lari, genera species & individua in se & sub se continent es, sicuti
in apothecis tituli aut pixides in se & sub se continent medica-
menta. Quemadmodum ergo Prædicamentum Substantia est
series Substantiarum, & in categoria Substantiæ, utpote modi
prædicandi de Substantia singulari, continentur genera, species
& individua; deinde, quemadmodum prædicamentum Quan-
tita^{ti} est series Quantitatum, Prædicamentum Qualitatis series
qualitatum, relationis ordo relationum &c. ita prædicamen-
tum τὸ ὕβι τὸ ἕ. Quando & Habitus est prædicamentum: Lo-
corum, Temporum, & Substantiarum ad Substantiam habitu-
dinem in adjacentia fundatam involventium, seu: series, in
quibus sub Loco, Tempore & Habitu, tanquam summis gene-
ribus, disponuntur & directe continentur genera subalterna, spe-
cies infimæ & individua.

§. 5. Atque ex his prædicamentis desumuntur postmodum
species & individua, a quibus Substantia singularis denomina-
tionem aliquam accipit. E. g. in hac propositione: *Ille Gryl-
liceps abhinc decem annis intravit Academiam Jenensem, suo in-
dutus gladio*; in hac, inquam, propositione tribuitur Grylli-
cupi aliquod Temporis præteriti individuum, videlicet: decem
anni proxime præteriti, aliquod individuum ex Prædicamento Lo-
ci: nimirum: Academia Jenensis, aliquod individuum ex prædica-
mento Substantiarum adjacentium, i. e. ex prædicamento Habitus;
suis nempe gladius.

§. 6. Quin, ex hac Historia: Socrates fuit homo, tres
ulnas longus, Philosophus, Sophronisci Pater, qui Philosophi-
am, imprimis moralem, aliis tradidit, cicutam bibere jussus est,
vixit Olympiade 95. docuit in Lyceo, sedens, togatus; ex hac
(repeto) historia elucescit, quod ex prædicamento UBI, QUAN-
DO, & HABITUS, tanquam ex Classibus: Locorum, Tem-
porum,

porum & substantiarum adjacentium desumptæ sint species, a quibus Socrates denominationem aliquam accipit.

§. 7. II) Si in Prædicamentis ly UBI non est Locus, aut Classis Locorum, sed: esse in loco; & π QUANDO non est Tempus aut classis Temporum, sed: esse in tempore, eam ob causam, quia Locus & Tempus ad Quantitatis prædicamentum pertinent; certe etiam Prædicamentum Actionis & Passionis solummodo erit: esse agens, &: esse patiens, non vero id erit dispositio actionum, propterea, quia actio & passio referendæ sunt inter relata. Verum ipsi illi Doctores, qui contrarium adstruunt, quamvis actio & passio relata sint, tamen seorsim classem actionum, nimirum a relationum classe avulsam, tradunt, dividentes actionem in actionem Dei & creaturarum, utramque in immanentem & transeuntem. &c.

§. 8. Quamvis itaque Locus & Tempus ad Quantitatis prædicamentum pertineant, tamen ad id, ut series Locorum & Temporum peculiare aliquod prædicamentum, nimirum prædicamentum π Ubi & π Quando, constituere possint, sufficit, quod in classe Locorum Locus sit Genus summum in classe autem & serie temporum, Tempus cacumen summum sit, quemadmodum ad id, ut series actionum peculiare prædicamentum, nimirum prædicamentum actionis constituere possit, sufficit, quod in classe actionum actio summum genus sit, quamvis actio relationem ad passionem, i. e. ad motum, quatenus eo aliquid afficitur, involvat.

§. 9. III) Si Habitus, prout ultimum prædicamentum constituit, non est in abstracto spectata Substantia adjacens substantiæ, sed: π adjacere, adjectum esse, adjacentia; profecto etiam Quantitas, qualitas, relatio, actio & passio (quæ a doctis contrarium pro accidentibus habentur) non erunt accidentia; sed solummodo π esse quantum, quale, relatum, agens, patiens. Par enim est ratio. Nam Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio sunt abstracta quanti, qualis, relati, agentis, patientis, æque ac e. g. calceus abstractum est calceati.

§. 10. In-

§. 10. Interim objicere potes : Ita est : *Non quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, sed : esse quantum, quale, relatum, agens, patiens, sunt accidentia predicamentalia. Prædicatio enim accidentium predicamentaliū de substantia singulari non fit in abstracto, sed in concreto ; atque ad accidens predicamentale requiritur, ut vere, i.e. in concreto affirmari possit de substantia singulari.* Verum : Quæro Primo : quid igitur sunt hæc (quatenus contingenter alicui competunt) abstracta : Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio ? aut Substantiæ, aut accidentia ? Certe non sunt Substantiæ, ergo accidentia. Ideoque etiam accidens prædicamentale potest esse abstractum. Deinde respondeo hunc in modum : Prædicatio accidentium predicamentaliū de Substantia singulari non quidem fit in abstracto, sed in concreto ; interim tamen non impedit, quo minus aliquid sit accidens prædicamentale, si non sit concretum. Ipse enim confiteris, quod illud sit accidens prædicamentale, quod vere, i.e. *in concreto*, de substantia singulari *affirmari potest*, reliquis ejus requisitis positis. Jam vero omne accidens prædicamentale abstractum potest affirmari de substantia singulari, licet non in casu recto, tamen in obliquo, atque ut connotatum. Etenim *in concreto ipsum includi potest, quod est : in concreto affirmari posse.*

§. 11. Ex his itaque constat ; tam ad esse aliquod accidens prædicamentale, quam ad esse aliquod prædicabile accidens, sufficere, si modo *possit* in concreto de subjecto suo affirmari per modum connotati, licet adhuc abstractum nec actu inclusum sit concreto. Alias enim ad id, ut accidens prædicabile affirmari possit de subjecto suo, eodem jure requirere possemus, (debet enim esse prædicabile) ut sit concretum. Nam v.g. vestis, ut accidens prædicabile, in abstracto spectata non potest affirmari de corpore humano, neq; rubigo abstractivè considerata de ferro. Non enim dicere possum : Homo est vestis, ferrum est rubigo : Benè tamen : Homo est vestitus, ferrum rubigine aspersum. Nota : *concreto includi posse, est : in concreto remote affirmari posse ; concreto inclusum esse, est : in concreto proxime affirmari posse.*

§. 12. Per

§. 12. Per hæc tenus dicta nostram Thesi sextæ concreditam assertionem salvatam esse crederemus, nisi sequens insuper nos premeret instantia : *In hac propositione : Corpus est animatum, prædicatur aliquid corpori contingenter competens, seu, in ea prædicatur anima de corpore ut accidens prædicabile. Potest enim corpus etiam esse inanimatum; ideoque in illa prædicatur Substantia contingenter de Substantia; nec tamen anima in eadem prædicatur ut accidens prædicamentale. Nam non prædicatur de corpore ut Quantitas, nec ut Qualitas, nec ut Relatio, nec ut Actio nec ut Passio nec ut Locus, nec ut Tempus, nec ut Situs, nec tandem ut Habitus, seu: ut Substantia adjacens Substantiæ; quia anima non adjacet, sed inexistit corpori.*

§. 13. Verum hanc instantiam I) ita diluimus : Si tot Substantiæ a tot Substantiis in Prædicamento Habitûs comprehensis, denominationem possunt accipere, tanquam ab accidentibus prædicamentalis; quid prohibet, quo minus aliæ plures Substantiæ, substantiis denominationem largientes, vocari possint accidentia prædicamentalia? Numerus enim prædicamentorum denarius non est inviolabilis, nec repugnat, plures dari accidentis prædicamentalis species, quam novem; quemadmodum infra Th. X. §. 3. & 8vo operosius demonstrabimus.

§. 14. II) Opinamur : animam pertinere ad classem relatorum, quatenus est corporis anima. Hoc est : quatenus corpus ab anima denominatur animatum, eatenus corpus dicitur esse relatam. Anima enim in corpore est ut forma. Forma autem respectam involvit ad formatum, seu : *forma & formatum sunt relata.* Atque hujus relationis *subjectum* est corpus organicum; *fundamentum ex parte subjecti* est potentia recipiendi spiritum incompletum; *ratio fundandi*, actualis receptio spiritus incompleti, *terminus* est spiritus incompletus, *fundamentum ex parte termini* est potentia informandi corpus organicum, *ratio terminandi* est actualis informatio corporis organici.

§. 15. Parem responsionem aptamus sequenti objectioni : *In hac propositione : poculum est aureum, forma denominans est*

est aliqua Substantia, nimirum aurum, & predicatur contingenter de poculo, adeoque est accidens predicabile, non autem predicamentale; Nimirum hæc reponimus: In hac propositione: poculum est aureum, poculum dicitur esse relatum. Aurum enim est materiatum. In illa igitur propositione poculum dicitur esse relatum ad materiam suam, nempe aurum.

TH. VII.

Septimo: Differentiam accidenti prædicabili & prædicamentali hanc assignant: *Accidens predicabile predicatur non de Substantiis solis, sed etiam de iis, quæ sunt in prædicamento Quantitatis, Qualitatis, Actionis, &c. prædicamentale autem solis Substantiis contingenter convenit.* Nobis tamen magis placet hæc Antithesis: *Uti accidens predicabile, ita etiam prædicamentale predicatur tam de Substantiis, quam de iis, quæ sunt in Prædicamento Quantitatis, Qualitatis, Actionis, &c.*

§.1. Nam e.g. Virtus est accidens prædicamentale; est enim habitus; huic accidenti prædicamentali competit aliud accidens prædicamentale; nimirum *to' contemni*, i.e. *pati*, seu affici. Contemnere enim est agere, ergo contemni est pati; ubi enim est actio, ibi etiam passio. Actio quippe & passio sunt relata, & simul. *To' pati* autem h.l. non est recipere; dum enim virtus contemnitur, nihil recipit, sed extrinsecus afficitur per contemptum. Ideoque passio in genere non est receptio, sed motus, quatenus eo aliquid afficitur, uti actio est motus, quatenus hic ab aliquo procedit; Unus enim idemque motus est actio, quatenus respicit agens illud, a quo procedit; passio vero, quatenus subjectum, quod per eum afficitur, respicit. Et quoniam subjectum ab actione afficitur vel intrinsece, vel extrinsece; inde passio distingui potest in illam, qua aliquid intrinsece afficitur, & illam, qua aliquid extrinsecè afficitur. Illa, qua aliquid intrinsece afficitur, iterum distingui potest in receptionem, & passionem grammaticè talem.

C

§.2. Sic

§. 2. Sic *ly magni aestimari* est accidens prædicamentale, nimirum itidem : pati, seu : aliqua passio ; & hoc accidens prædicamentale competit pariter alii accidenti prædicamentali, v. g. *adulationi*, quæ est actio. Porro *ambulationi* ut accidenti prædicamentali, competit *ly fieri in museo*, ut accidens prædicamentale : Museum enim pertinet ad prædicamentum Ubi, seu classẽm Locorum. Similiter *circulo*, ut accidenti prædicamentali, nimirum ut figuræ, competit *to pulcrum esse*, ut accidens prædicamentale, seu ut : *esse quale*. Pulcritudo enim est patibilis qualitas, adeoque accidens prædicamentale, a quo *circulus* denominatur pulcher.

§. 3. Jam vero *Virtuti to contemni*, *adulationi to magni aestimari*, *ambulationi to fieri in Museo*, *circulo to pulcrum esse*, competit etiam ut accidens prædicabile, quia unumquodque eorum alteri contingenter competit. Ideoque tam accidens prædicabile quam prædicamentale prædicatur & de substantiis, & de aliis accidentibus prædicamentalis.

§. 4. Ais : *prædicamenta dicuntur esse modi prædicandi de Substantia singulari, non autem dicuntur esse modi prædicandi de aliis accidentibus prædicamentalis ; quapropter accidens prædicamentale solis substantiis, prædicabile autem & substantiis & accidentibus prædicamentalis contingenter competit.*

§. 5. Ad hoc dubium I) ita respondeo : Malim prædicamenta definire per series, in quibus sub uno summo genere disponuntur & directe continentur genera subalterna, species infimæ & individua ; quam per generales modos prædicandi de Substantia singulari. Quamvis enim generales hi prædicandi modi : esse substantiam, esse quantum, quale &c. sub se comprehendant speciales, v. g. esse corpus, esse tres ulnas longum, esse doctum &c. tamen nunquam accidentia prædicamentalia disponi solent possuntvè in concreto. *Quando enim Ens dividitur in Substantiam & Accidens, tunc accidens non dividitur in quantum, quale, relatum, &c. (Nam Quantum &c. involvit & subiectum & accidens.) Sed in Quantitatem, Qualitatem, relationem, &c.*

&c. Atque deinde v. g. quantitas dividi solet in continuam & discretam, continua in permanentem & successivam.

§. 6. II) respondeo : Exinde, quod Prædicamenta sunt modi prædicandi de substantia singulari, non sequitur : Ea esse modos prædicandi de sola substantia singulari, nec simul de aliis accidentibus prædicamentalibus. Contrarium enim ostenderunt exempla, præcedentibus §§. 1. 2. & 3. allata. Imo, III) Si prædicamenta sunt classes, ex quibus desumuntur prædicata rerum; quid prohibet: v. g. ex prædicamento quantitatis, qualitatis, actionis, &c. desumi species, a quibus alia accidentia prædicamentalia denominationem accipiunt, sicuti ex iisdem prædicamentis depromuntur species, a quibus Substantia denominationes accipit? Consule §. 5. & 6. Th. VI.

TH. IIX.

Octavo : Attribuunt accidenti prædicabili & prædicamentali hanc discrepantiam : *In accidente prædicabili est modus enunciandi vel prædicandi concretus, ut doctus : in prædicamentali abstractus, ut doctrina ;* Verum illi ipsi, qui hanc tradunt discrepantiam, contrariam suppeditant sententiam, dum ex ipsorum assertis colligi possunt hæ doctrinæ: 1) *Quod prædicamentale accidens non alio modo, quam ut concretum enunciari possit, seu, quod modus enunciandi in accidente prædicamentali debeat esse concretus.* 2) *Quod utrumque accidens, scilicet prædicabile & prædicamentale, sit vel concretum, vel abstractum.*

§. 1. Priorem doctrinam inferimus ex hoc eorum asserto: *Accidens prædicamentale debet de eo, cui inest, vere, seu in concreto, affirmari posse.*

§. 2. Posteriolem doctrinam colligimus 1) ex illorum asserto sequenti : *Accidens prædicabile potest esse Substantia, ut aurum & aureum respectu potuli.* In hac enim propositione

est aliquod abstractum, nimirum *aurum*, & aliquod concretum, videlicet *aureum*; inque eadem *utrumque* dicitur esse accidens prædicabile. 2) etiam ex eo, quod statuunt: dari accidens prædicamentale abstractum, v. g. doctrinam. 3) Per eorum assertum in §. præced. comprehensum, nimirum isthoc: Quia accidens prædicamentale debet ut concretum enunciari posse. conf. Th. VI. §. 9. 10. 11.

TH. IX.

Nono: Perhibent, accidens prædicabile & prædicamentale ita discrepare: *Prædicamentale realiter distinctum, & in subjectum agens, in Deum, non cadit, & tamen quaedam accidentaliter & per extrinsecam denominationem de Deo prædicantur, ut: cum Deus dicitur creare, &c.* Verum per hæc nihil minus, quam differentia inter accidens prædicabile & prædicamentale eruitur.

§. 1. Nam I) per talia nihil aliud probatur, quam, quod non omne accidens prædicamentale in Deum cadat. At, nec omne prædicabile accidens in Deum cadit. V. g. habitus est accidens aliquod prædicabile & prædicamentale, nimirum qualitas; nec tamen in Deum cadit. Ergo & in eo conveniunt accidens prædicabile & prædicamentale, quod non unumquodque amborum in Deum cadat. Nec etiam omne accidens prædicamentale in Substantiam compositam cadit, v. g. in hominem, nudum non cadit habitus. II) Quando Deus dicitur creare, tunc ipsi tribuitur accidens prædicamentale, nimirum actio; E. in Deum cadit etiam accidens prædicamentale.

§. 2. Patet inde, quod Deus, quia I) est subjectum relationis, actionis, ut accidentium prædicamentarium, sit in Substantiæ prædicamento: Substantia enim est subjectum accidentium prædicamentarium. Deumque in Substantiæ prædicamento esse, II) exinde insuper patet, quia Deus est aliquod ex inferioribus substantiæ, ut pote summi generis in classe Substantiarum.

Th. X

Decimo: Non parvi momenti est denique hæcce, quæ accidens prædicabile & prædicamentale intercedere creditur, differentia: prædicabile potest esse privativum, privatio autem directe est in nullo prædicamento; nihilominus tamen assensum præbere malumus his antithesibus: Accidens prædicamentale potest esse privativum, uti prædicabile, & privatio directe est in aliquo prædicamento.

§. I. Quod prædicamentale accidens, uti prædicabile, possit esse privativum, probamus I) ex eo, quia omnia vitia sunt habitus, involventes absentiam: ejus, quod virtus ponit, & conformitatis cum recta ratione. Et vitia sunt in Qualitatis prædicamento, non solum quæ sunt habitus voluntatis, sed etiam quæ sunt habitus involventes absentiam: ejus, quod virtus ponit, & conformitatis cum recta ratione. Nam species habitus voluntatis sunt: 1) Habitus, ex quo aliquis secundum rectam rationem agit, vocaturque virtus moralis: 2) Habitus, ex quo aliquis contra rectam rationem agit, seu: promptitudo aut assuetudo contra rectam rationem agendi, vocaturque vitium. Vitium itaque etiam in prædicamenti consideratur ut privativum. II) Ex eo, quia omnis *impotentia naturalis* est privativum. Nam omnis impotentia naturalis, quamvis revera sit potentia, involvit tamen *absentiam perfectionis*, & propter adjunctam privationem vocatur impotentia. vid. Stahl. Metaph. p. in 397. V. g. debilitas memoriæ est impotentia naturalis, & absentia Spirituum ex cerebro. Quicquid autem includit aliquam privationem, illud est privativum. Privatio enim & privativum differunt ut inclusum & includens.

§. II. Per jam dicta probavimus, quod prædicamentale accidens, sicuti prædicabile, possit esse privativum. Alterum autem: scilicet, quod privatio directe sit in aliquo prædicamento, probamus ex eo: *Quia tot sunt prædicamenta, quot sunt series,*

in quibus sub uno summo genere plura genera subalterna, species infimæ & individua disponuntur ac directe continentur. Jam vero datur series, in qua sub privatione, tanquam summo genere, plura genera subalterna, species infimæ & individua disponuntur ac directe continentur; hoc est datur classis privationum, in qua privatio summum genus est, & ex qua desumuntur denominationes contingenter competentes substantiæ. Nam privatio est vel

- 1. Antecedens formam,
- 2. Consequens formam; & hæc est vel
 - 1. Totalis, ut: cœcitas, (ejus speciei individuum est cœcitas Tobiaë) Mors &c.
 - 2. Partialis, ut: *impotentia naturalis*, v. g. hebetudo oculorum &c. debilitas memoriæ Sempronii.

§. 3. Quoniam itaque huic dispositioni competit definitio prædicamenti, competet etiam ipsi definitum. Definitionem ei competere, ad oculum patet, quia ipsa representat seriem, in qua sub uno summo genere, continentur genera subalterna, species infimæ, & individua.

§. 4. Privatio ergo directe est in aliquo prædicamento, nempe in prædicamento privationum. Neque enim privatio *reductivè* est in prædicamento potentia naturalis, aut habitus oppositi, nisi putem: *reductivè* significare: mit Haaren hierzu gezogenen Weise. Nam i.) nulla est affinitas inter privationem & habitum. Habitus enim & privatio sunt opposita; cum differant, ut Ens & non-Ens. Et, quando privationem reducunt ad prædicamentum habitus oppositi, tunc reducunt privationem tanquam oppositum ad oppositum. Inter opposita autem, quatenus opposita, nulla est affinitas; cum tamen, si reducere quid velim ad alterum, id propter aliquam affinitatem, quam alterum cum altero habet, fieri debeat: aliàs enim

enim reducere possem σιδηροξύλον ad prædicamentum substanti-
æ, tanquam oppositum ad oppositum. Quoniam Ens ratio-
nis est veri entis oppositum. 2) Si aliqua res ad oppositum eius
reduci potest, cur sententiæ contrariæ Doctores impotentiam na-
turalem directe posuerunt in prædicamento Qualitatis, seorsim
eam exprimentes & commemorantes? & non reducerunt ad po-
tentiam naturalem? Potentia enim naturalis est perfecta poten-
tia, & impotentia naturalis includit privationem & imperfectio-
nem potentiæ a natura insitæ.

¶ 5. Quodsi hoc loco ita interloquaris: *Quemadmo-
dum oppositorum eadem esse potest disciplina, ita etiam opposito-
rum unum poterit reduci ad alterius prædicamentum.* Tum re-
spondeo: Quando in unâ eademque disciplinâ opposita declaran-
tur, tunc opposita non considerantur tanquam ad unum genus
reductæ res remotissimo genere aliàs diversæ; sed tanquam res
juxta se positæ magis illucescentes. Ideoque hoc simile huc non
quadrat. Quid insuper adigit nos eo, ut statuamus: privationem
reductivè esse in prædicamento habitus oppositi, si, ut su-
pra evicimus, datur prædicamentum privationum? Certe vani
quid est, numerum prædicamentorum denarium reputare invio-
labilem, & propterea statuere: *quædam reductivè esse in prædi-
camentis, (quæ tamen sub aliquo genere directè sunt) nec dari
prædicamentum privationum.* Numerus enim prædicamento-
rum denarius magis ex receptâ Philosophorum (Pythagoræorum
præcipuè, ut sunt Architas, quibus solus denarius perfectus)
sententiâ & consuetudine constat, quàm firma demonstratione.
Nam 1) aliàs Aristoteles eum demonstrasset, & forte de osten-
dendâ ejus perfectione magis sollicitus fuisset. 2) Rationes ab iis,
qui pro numero prædicamentorum denario militant, allatæ, non
dant, cur ita & non aliter divisiones instituantur?

Th. XI.

Unum ergo idemque accidens est prædicabile, qua-
tenus de suo subjecto contingenter prædicari potest, &
prædicamentale, quatenus in classibus generum, specie-
rum

rum & individuorum continetur, & ex illis desumitur ad denominandum aliquod subjectum. * Præter considerantiam ex quâ sita transposita sunt cygni & Æthiopsis antitheta: *nigrum & album* pag. II. §. 15. in illis verbis: *Quam diu itaque mihi non ostenditur æthiops albus & cygnus niger, tam diu seduci non possum ut credam: dari æthiopem nigrum & album cygnum absque contradictione.* Cuius enim æquomodo iudicanti integrum est, ex dictis antecedentibus & consequentibus colligere, quod sequenti ratione collocanda sint hæc verba: *Quam diu itaque mihi non ostenditur æthiops albus & cygnus niger, tam diu seduci non possum, ut credam: dari Æthiopem album & cygnum nigrum absque contradictione.*

Sit soli summo gloria summa Deo.

21 mg. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3



Sl.

23 17







B.I.G.

Farbkarte #13

45
15
RTATIONVM

DE

S RERVM ERIBVS

ERTIA,

*In qua
on hoc Logicum:*

PRÆDICABILE ET ENTALE PLANE DIFFERVNT,

nissu Amplissimæ Facultatis
ilosophicæ

M A S A L A N A

April's MDCIC.

discutiendum exhibebit

PRÆSIDE

LIPPO reiber

adj. I. U. C. & P. L. C.

SPONDENS

ß/ Schesburgo-Transylv.

I E N A E
S MULLERIANIS.